

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Franc. Jacobi Med. Doct. Descriptio Methodi Mercurium
Sublimatum Corrosivum Tutius Copiosiusque Exhibendi**

Jacobi, Franz

Monasterii Westphalorum, MDCCLXXXV.

VD18 13201964

urn:nbn:de:gbv:45:1-15853


Nw III

10 b

58



N.W. III 106
58





FRANC. JACOBI
MED. DOCT.
DESCRIPTIO
METHODI
MERCURIUM SUBLIMATUM
CORROSIVUM
TUTIUS COPIOSIUSQUE
EXHIBENDI.



MONASTERII WESTPHALORUM
SUMPTIBUS PHILIPPI HENRICI PERRENON
MDCCLXXXV.

EX BIBLIOTHECA
OLDENBURGENSI





Quam diversæ sint hæc nostræ
ætate Medicorum senten-
tiæ de usu medico Mercurii subli-
mati corrosivi, nemo est, qui ne-
scit. Fuerunt jam olim, qui hæc
Mercurii præparationem exitia-
lem dignamque, quæ e foro me-
dico exulet, proclamarent. Sed
fuerunt quoque, qui hoc medica-
menti generis non solum damno
destitutum, sed & pluribus in mor-
bis iisque pertinacissimis ea esse
A 2 effi-

efficacia, ut præ omnibus aliis in usum vocandum esse voluerint, contenderent. Ita salubrem huius pharmaci usum tam internum, quam externum pro viribus propugnat celeberrimus, cui quidam celebres inter medicos viri suarum laudum magnam partem debent, MELCHIOR FRICCIUS (a)

Nonnulli medicorum Vienneusium, inter quos ipse, qui magis pro veritate militat quam pro novitate, fuit HAENIUS (b) virtutem huius remedii summis extulerunt laudibus. Verum nova ægris sub forma illud exhibent. Mercurii sublimati corrosivi grana sex in libra unæ spiritus frumenti, medium hinc in Unica una,
fol-

(a) Paradoxa de Venenis Cap. 3.

(b) Ratio med. part. 2. Cap. 12. & part. 4.

solvunt. Ex hac solutione duo de
 die cochlearia, aliquando, si ho-
 mo bene ferre videtur, per-
 tinaxque sit malum ter imo qua-
 ter de die dantur ea lege, ut
 vel decocti alicujus emollientis
 Altheæ, Bardanæ, imo sæpe aquæ
 puræ libras duas tresve totidem-
 que lactis quotidie absumat, om-
 ni quarto mane lene additur pur-
 gans. (c) Hac ratione plurimos
 fanitati restitutos fuisse testatur
 celeb. HAENIUS; Hac ratione
 4880 homines a se fuisse cura-
 tos gloriatur LOCHER. (d) Taceo
 alios, qui secundos ex hujus re-
 medii efficacia experti sunt even-
 tus.

A 3

Tan-

(c) Haenii rat. med. part. 2. cap. 12.

(d) Observationes practicæ pag. 34. vid. duæ epi-
 stolæ adnexæ Dissertationi JOSEPHI BENA-
 VE-TO ad cl. BECCARIUM Luccæ 1753.

Tantum vero abest, ut Academia Chirurgiæ gallica hujus medicamento usum suo ad sensu comprobet, ut LATRONES dicere eos non dubitet, qui ægris illud porrigere audent. Sic Cl. PIBRAC postquam quorundam ægrorum historiis demonstrare conatus fuit quam noxius sit exitialisque Mercurius sublimatus corrosivus, sive ore assumatur, sive externis applicetur corporis partibus in hæc erumpit Verba : „ Nous „pouvons donc conclure d'après „une autorité aussi respectable „& en traduisant les propres expressions, que le sort de ceux „là est à plaindre, qui ont le „malheur de tomber entre les „mains de pareils assassins (e)
Nec

(e) Memoires de l'Academie Royale de Chirurgie.
Tome onzieme in 8vo.

7

Nec multum huic medicamento
favere videtur celebr. RICHTER
experientia ductus. (f)

Quæ causa tantæ dissensionis
ut quo remedio vitam reddi
unus, eodem illam tolli conten-
dat alter? cui fides habenda? qui-
libet ad propriam provocat pra-
xin autoritatis testimoniorum-
que gravem pondere.

Procul absum, qui hanc inter
magnos in arte viros controver-
siam dirimere aut audeam aut pos-
sim. Paucis tantum liceat men-
tionem facere alicujus methodi,
cujus ope & tutius & copiosius
ingeri in corpus humanum mer-
curius

(f) Chirurgische Bibliothek des ersten Bandes er-
stes Stück, S. 40.

curius sublimatus potest. Verum alienæ gloriæ non cupidus & quæ sit illa methodus & cui debeatur, exponam brevibus.

Dum anno proxime elapso, finito studiorum Academicorum decursu, Monasterium redierim, vidi pillulas quasdam sub nomine PILLULARUM MAJORUM HOFFMANNI tum a medicis chirurgisque, qui hac degunt in arbe, tum ab iis, qui vicinas incolunt frequentem adhiberi in usum non solum in malis, quæ a Lue venerea originem trahunt, sed & pluribus in aliis. Uno ore omnes harum pillularum laudes celebrarunt, pluresque ipsemet vidi earum viribus curatos.

Medi-

Medicorum non minus
 quam agrorum e re esse puta-
 vi, ut via, quæ omnes, quas
 hucusque ingressi sunt medici,
 Mercurium in corpus huma-
 num ingerendi pluribus nomi-
 nibus antecellit, pateceret. Ip-
 sum itaque, a quo nomen du-
 cunt hæ pillulæ, celeberrimum
 Archiatrum HOEFMANNUM ro-
 gavi, ut me confectionem il-
 larum doceret. Annuit Vir
 clarissimus pro sua humanitate
 benevoloque in me animo li-
 terisque meo satisfecit deside-
 rio, veniamque publici illas ju-
 ris reddendi adjunxit.

Neque multis autorem
 exornare laudibus, neque tæ-
 diofa agrorum curatorumque
 lecto-

lectorem onerare enumeratione animus est, sed literas vernacula datas in latinum exhibeo mutatas sermonem.





Noste ex me cupis, Amice! ea, quæ ad compositionem usumque pillularum hic loci nomine MAJORUM existentium, spectant? Lubens huic satisfacio desiderio. Cum vero omnia Te nocte volo exordium a primis temporibus, ubi hæc pillulas in medicum vocavi usum, capiam.

Dum olim studiis medicis operam dedi in Hollandia, audiui BOERHAAVIUM Mercurium sublimatum corrosivum variis adhibere in morbis; Et si summi Viri Chemiam, ubi de hoc Mercurii præparato loquitur, inspicias, hæcce invenies: Sapor hujus vitrioli terribilis austerus. Granum unum aquæ uncia dilutum dat remedium cosmeticum prudenter usurpantibus. Si drachma

ma

ma talis mixturæ Syrupo violaceo mitificata potatur bis terve in die, mira præstat in multis morbis incurabilibus, at prudenter a prudenti medico, abstinere si methodum nescis. (g)

Vides ex hisce formam, sub qua BOERHAAVE hoc remedium porrexerit, quaque dosi illud assumendum voluerit; mediam scilicet vel unam tertiam grani partem de die. Qui hanc solutionem gustavit, non dubitabit fateri, vera dixisse magnum virum dum terribilem austerumque illius saporem esse pronuntiavit, & hæc est ratio, cur syrupo quodam illum obvolvi voluerit. Sed cur addidit ABSTINE SI METHODUM NESCIS? cur non copiosum Théé infusum cum lacte commixtum superpotari iussit, id quod ipsi in consuetudine fuit vel hordei decoctum?

Ego jam tum temporis hoc BOERHAVII remedium frequentem traxi in usum. Verum nec syrapi violacei
nec

(g) Elem. Chem. Tom. 2. Proc. 198.

nec aliorum, qui sapore gaudent jucundo, remediorum auxilio saporem austerum delere valui.

Ex Hollandia in Saxoniam profectus à sene quodam chirurgo remedium didici multis efficax in rebus. Senex in arcanis habuit hoc remedii genus & incassum varii laboraverant medici ut, quid sit, detegerent. Contigit ut cum hoc viro apud ægrum quendam, multis dilaceratum vulneribus convenirem. Solius hujus medicamenti virtute ulcera omnia ferme sanata fuerunt. Liquidum quoddam fuit, ex quo ter de die ad 60 guttulas præscripsit deglutiendas. Gustu sensu Mercurii sublimati corrosivi præsentiam detexi. Chirurgus inde terrefactus me rem tetigisse pernegavit meque utrum eum esse illum credam, qui atrocissimo veneno ægros e medio tollere moniatur, attonitus rogavit. Ubi vero & BOERHAAVIUM & me ipsum sæpius eodem usus fuisse remedio ex me percepit animum revocavit. Dum ab ægro discessimus, etiam atque etiam a me petivit, ne cuiquam de hoc remedio

dio

dio quid dicam, cujus præparationem
 me doceret, si rationem, qua BOER-
 HAAVE eo utitur, illi indicare vellem.
 Hæc erat ipsius præparatio: Unciam
 unam radicis Contrajervæ in libra aquæ
 decoxit. In qualibet hujus decocti un-
 cia grana quatuor solvebat Mercurii
 sublimati corrosivi & ex hac solutione
 ter de die 60 imo 70 guttulas propina-
 vit, hujus radicis vi cicurari venenum
 sibi imaginatus.

Innotuit deinde solutio in spiritu vi-
 ni & hanc sapore illo ingratiſſimo, quem
 nullis hucusque remediis in aliis solu-
 tionibus involvere potui, speravi futu-
 ram destitutum. Et revera deprehendi
 hanc solutionem ab ægris diutius abs-
 que nausea fastidioque ferri. Quan-
 quam & novi, quos ingratus sapor im-
 pedivit, quominus illud adsumerent.
 Nec rarum mihi fuit videre ubi primo,
 quo cura suscipiebatur, die absque om-
 ni adsumptum fuit molestia, dum se-
 cundo tantam creavit, ut persistere in
 illius usu ægri non potuerint.

Quam

Quam nunc Tibi enarrare adgre-
dior, Historia & quæ jam dixi confir-
mabunt, & qua ratione in pillularum
majorum compositionem incidere,
docebunt.

Vocatus fui ad aliquam ægram fan-
guine mihi junctam, quæ ulcere quo-
dam maligno in dextra labii inferioris
parte exedebatur. Cancrum esse aper-
tum dixerant nonnulli. Sublimati cor-
rosivi virtutem tentandam esse ratus,
solutionem illius in spiritu vini præ-
scripsi. Medicamentum hac ratione
adhibitum trium septimanarum spatio
effecit, ut multum in melius abiret ul-
cus. Verum quartæ hebdomadis ini-
tio adeo abhorruit, ut in ipsius usu ul-
teriore permanere non potuerit. Spe-
tamen sanitatis commota cogere se ægra
voluit, ut remedium continuaret. Ve-
rum incassum. Vomitu namque reji-
ciebatur vix devoratum, ut cum syste-
mate nervorum admodum mobili gau-
debat, convulsiones subinde vomitum
comitabantur.

Liceat quæstiunculam quandam hic
movere.

movere. Tot leguntur exempla, ubi pessima ab usu Mercurii sublimati corrosivi inducta fuisse symptomata perhibentur, annon hæc omnia ab horrendo ipsius sapore videntur esse derivanda? iis quæ nunc dicam responsurum me ad hæc opinor.

Cum fæmina nostra pergere in usu subl. corros. non potuerit ad lignorum decoctum, quod per octo dies bene tulit, confugi, vespere vero cubitum petens pillulas ex MASSA PILLULARUM PLUMERI sumendas injunxi. Verum ulcus omnino recrudescere inque pejus abire cœpit. Ad sublimatum redire coactus de alia, qua ingeri possit, forma cogitavi. Hunc in finem ex illo ope micæ panis pillulas curavi fieri. Quippe Mercurii subl. corros. drachmam unam cum decem drachmis micæ panis subegi, pillulasque paravi, quarum decem unum ex sublimato continebant granum. Tres numero sumendas exhibui mane, a meridie & vespere. Egregie processit hæc methodus quatuor dierum intervallo, quinto vero de colicis doloribus conquesta variis vomuit

vomuit vicibus. Lac epotum symptomata hæc non solum lenivit, sed & penitus sustulit. Dubius mecum fluctuavi utrum vomitus hicce medicamento an vero causæ incognitæ attribuendus sit. Sequenti nil molestiæ ex assumptione harum pillularum percepit ægra, ut nec tribus, qui sequebantur, diebus; hos vero sequenti iterum colici redierunt dolores vomitusque lactis iterum auxilio sufflaminatus.

Nunc vero suspicio mihi nata est, annon massa, quam paravi non æquabiliter subacta, ut una micæ panis portio majorem præ altera ex Mercurio sublim. contineat quantitatem, symptomatum causa sit. Hoc itaque ut dein præcaveatur incommodum solvi drachmam Mercurii sublimati corrosivi in sufficienti aquæ copia. Hac solutione decem humectavi ex mica panis drachmas. Ex hac massa bene subacta pillulas curavi fieri, quarum decem unum in se contineant granum sublim. corros. Hac enim ratione de æquabilitate miscellæ securiorem me esse putavi. *

B

pillu-

* Hæ pillulæ hac ratione confectæ aere temperato exsiccantur & per annos servari possunt.

pillulas exhibui & in integrum conva-
luit fœmina.

Hæ sunt illæ pillulæ, quas in
usum vocavi per viginti quinque anno-
rum decursum, quæ Rhedæ & Burgo-
steinfurti per quindecim, Monasterii
per octo ad novem annos nomine PIL-
LULARUM MAJORUM HOFFMANNI pro-
stant. Tam mea quam aliorum medi-
corum, qui his pillulis ægrotos per-
multos curarunt, per plures annos ex-
perientia eo me deducit, ut affirmare
Tibi audeam illas omnia, quæ ex Mer-
curio confecta habentur medicamenta,
& securitate & efficacia longe antecelle-
re. Symptomatibus, quæ ab aliis reme-
diis mercurialibus sæpius contra opinio-
nem medicorum creantur, carent hæ
pillulæ. Decies & ultra salivationem
efficient Mercurius dulcis, Panacea,
Aethiops mercurialis, Massa pillularum
Plumeri, mercurius gummi arabico sub-
actus aliaque, ut ut sunt lenia, dum ab
hisce pillulis vix ac ne vix quidem semel
producetur, usibus loquor edoctus.

Et efficacius & mitius agunt hæ
pillulæ quam solutiones tam aquosæ
quam

quam spirituosæ, nec difficilis est ratio. Solutiones enim hæ dum ingeruntur, tota sua, quam continent in se, mercurii vi in ventriculum agunt simul & semel, hinc nausæ, hinc vomendi conatus, hinc alia, quæ sequuntur incommoda, aliter vero res se habet in pillulis meis. Hæ sensim sensimque in liquoribus ventriculo contentis solvuntur & cum, quod solutum jam est, in intestina protruditur, efficitur, ut ne quidem forte vigesima pars mercurii eodem momento in ventriculum agit, qui agit in illum, dum solutiones devorantur.

Annon inde sinistri, quos tum Galli, tum Angli ex usu Mercurii sublimati observasse leguntur eventus? annon a saporis austeritate quantitateque nimia uno tempore in Ventriculum ingesta dependent? Annon hinc quoque ratio videtur patere, cur quidam majorem longe sublimati corrosivi quantitatem ferre possint, ac plerumque creditur?

Exempla vidi, ubi ægri citioris sanationis desiderio, præscriptum a me pillularum

lularum numerum transgressi quadraginta quatuor itaque grana sublimati, de die absque ulla molestia absumpserint. Quam terribilia sequuta fuissent mala, si alia sub forma eadem remedii quantitas deglutita esset? Quanquam cautos esse volo eos, qui hæc imitari vellent.

Habent præterea hoc commodi hæc pillulæ, ut variis mixtæ Eleosacharis saporis gratia ad lubitum illis conciliari potest. Sunt, qui medicamenta forma pillulari adsumere recusant; hisce in pulverem grossum tritas Sacharo mixtas, addita quadam guttula grati alicujus olei essentialis, exhibeo meas pillulas.

Aliquando solutionem aquosam succo liquiritiæ ingeri curavi; sed varia commoda, quibus præ aliis gaudent pillulæ cum mica panis confectæ impulerunt, ut in earum usu permanerim.

Juvat quoque nonnulla adducere exempla, quorum ipsemet testis existi. Sic fæminam hac in urbe vidisti, cui dira lues non solum uvulam palatiquæ

tique partem, sed & septum narium ita absumpsit, ut & nunc, curata licet, per nares, quod ajunt, loquatur. Narrantem audivisti quantum remediorum mercurialium, quantum ex decoctis lignorum, quin curaretur, absumpserit. Mearum tamen pillularum auxilio, quantum per exesa ossa fieri potuit, restituta est.

Juvenem in hac eadem urbe nosti, cui foeda efflorescentia faciem adeo deformavit, ut abstinere illum a publico hominum conspectu voluerint quidam. Intellexisti ex ipsius ore, quod viginti quatuor ex meis pillulis, duo itaque grana Mercurii sublimati, de die innoxius devoraverit; quodque per trium mensium decursum sanatus fuerit.

Ancilla, cui simile omnino malum faciem deturpavit, ut coacta fuerit hominibus inservire, qui mediam tantum mercedis consuetæ partem solvunt, intra tres quoque curata est menses. *

In

* Usus Mercurii sublimati corrosivi suspectum esse vult FRICCIUS in iis, quibus irritabile est nimium nervorum systema; Virginem tamen novi, quæ

In meis denique ædibus puellam vidisti, quam Aula nostra, dum æstate præterlapsa AHUSII commorata est, ad me mittere dignata est. Huic pinnæ narium sex jam ab annis exesæ fuerunt; vidisti, quam prope ad sanitatem nunc accedat.

Possẽm adhuc sexcentas adjungere historias malorum venereorum, ulcerum morborumque inveteratorum, in quibus efficaciam harum pillularum fui expertus. Verum malo ut alii mei loco id faciant.

Cum vero non solum secundos, quos ex cujusdam remedii virtute expertus est, enarrare successus, sed etiam quid sinistra damnosique inde acciderit honestum virum convenit adjungere, pauca addere statui. In ulceribus, quæ muria-ticus nutrit scorbutus, inefficaces quidem, non tamen noxias inveni has pillulas. Bis vel ter me observasse puto, quod scorbuticis in corporibus salivationem contra spem opinionemque & quidem intra paucos dies produxerit.

Re-

tali nervorum gaudet indole, quæque jam per tres ferme menses decem ex his pillulis quotidie consumit absque ullo incommodo, licet præscriptas diætæ regulas sæpius transgrediatur.

Restat ut adhuc aliqua, quæ de modo quo hoc medicamento genus ægris præbeo, deque iis, quæ subillarum usu agenda injungo, scire Te volo, dicam.

Plerumque ter de die, mane scilicet, a prandio vespereque, & singula quidem vice tres, quatuor imo quinque, sumendas præscribo. Dosis matutinam unâ minorem, ob vacuum ventriculum, esse amo. Superbibitur potus, qui ægris in deliciis habetur, ut THÉE, CAFFÉE isque cum vel sine lacte. Reliqua diei parte vivendi normæ insistitur, quæ solet esse in usu. Alimentorum ratio ea est, ut a carne porcina, a carne fumo indurata, a farinaceis frixis, ab omnibus pinguibus, ab omni denique excessu abstinenceatur; potum vero spirituosorum admodum moderatum esse cupio. Maxima pars eorum, qui hoc medicamento, modo enarrato adsumpserunt, absque omni omnino molestia illud sumpserunt. Sed contigit nonnullis ut molestiam quandam inde levemque vomendi conatum, idque maxime mane, senserint. Panis biscoctus cum potu, qui in jentaculo adhibetur, simul comestus, compescuit hæc symptomata.

Si

Si præfens fim ægris, quos tracto, nul-
lum ad alvum laxandam medicamentum
ufui harum pillularum adjungo, & fic
curatio fequitur multo citior quam ubi
purgantia fimul adhibentur, quibus ca-
rere femper poffumus, dummodo ægri
inter cibos eos eligunt, qui alvum fervant
lubricam, ut fructus horreos olera fimili-
liaque. Sin vero cum abfentibus mihi res
eft ægris, tunc quinto feptove die ad præ-
cavendam, fi qua timenda eft, falivatio-
nem, purgans exhibeo, fimul admoneo,
ne illo, fi alvus fponde femel bisve de die
laxetur, utantur.

Cautelas morbosque enumerare, in
quibus a mercurialibus abftinendum eft,
fupersedeo, fi quidem cum medico
agendum eft.

Atque hæc funt, Cariffime! quæ de
confectione ufque mearum pillularum
dicenda habeo. Fac valeas, meque in-
ter Tuû studiosiffimos habeas velim.
Dabam Monafterii Weftphaliæ, die de-
cima Januarii 1772.

l-
m
ic
di
a-
ri
it
i-
s
-
-
e

iii

H





1arob
Merrimay.